



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. An Deus possit revelare falsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

cujus imperfectior substituitur, ut loco Equi Asinus: hoc autem non fit in nostro casu.

324. Obijciunt 5. Talis actus esset perfectior suis causis, non tantum singulis seorsim sumptis, sed etiam simul sumptis, nempe propter indivisibilitatem & simplicitatem. 2. Negando simpliciter majorem. Nam licet ratione simplicitatis habeat aliquam perfectionem, quam non contineant causae formaliter, habent tamen causae alias perfectiones quibus caret actus, v. g. esse Ens permanens, esse potentiam ad actus specie diversos &c.

325. Obijciunt 6. Actus ille de quo disputamus, foret simul clarus & obscurus, evidens

& inevidens, quae tamen inter se pugnant. 2. Profore quaestionem de nomine, in qua dico, quod talis actus esset clarus saltem secundum unum, nempe ratione motivi scientifici. Unde potest simpliciter dici clarus, ut bene notat Ripa, quia praedicatum Claritatis non dicit negationem omnis Obscuritatis, alioquin nullus actus humanus posset simpliciter dici clarus. Econtra Obscuritas videtur dicere negationem omnis evidentiae, & ideo talis actus non nisi secundum quid, nempe secundum motivum fidei, dicendus esset obscurus, & inevidens.

CAPVT V.

DE REPUGNANTIA FIDEI CVM FALSITATE.

CONTROVERSIA I.

An Deus possit revelare Falsum.

326. **P**raetermissa haeresi Priscillianistarum & Armenorum, asserentium, Deum defecto mentitum fuisse, Sententia quorundam Catholicorum fuit, Deum quidem non posse mentiri, prout *Mendacium* sonat formalem rationem malitiae moralis & peccati; posse tamen saltem de potentia absoluta (non tamen ordinaria) falsum revelare sine malitia, sicut potest occidere sine peccato homicidij. Ita Robertus Holkott, Petrus de Aliaco, Adamus Godamus, Almainus, Gabriel.

327. Contraria Sententia negans, est adeo certa, ut Suarez, Conink, Granadus, dicant, esse de Fide, alij dicant oppositam esse Temerariam, Erroneam, Haeresi proximam. Probatur assertio 1. ex S. Scriptura ad Hebr. 6. *Volens Deus abundantius ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit Jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus.* Vbi Card. Lugo ponderat Juramentum, quod licet in nobis addat obligationem supra simplicem assertionem, in Deo solum addat energiam, quia Jurare est asserere Deum in Testem. Deus autem non potest loqui quin asserat se in Testem, hoc est, quin interponat suam auctoritatem. Idem habetur ad Rom. 3. *Est autem Deus verax.* Jo. 8. *Qui misit me verax est.*

328. Probatur 2. Ratione. Deo debentur omnes perfectiones simpliciter simplices, inter quas una est summa Auctoritas in dicendo, digna summâ fide excogitabili, ita ut saltem ex hypo-

thesi quoddam Deus loquatur, teneamur credere ita esse, & non posse aliter se habere, adeoque praesentia auctoritatis divinae negare fidem contra alijs contradicentibus: atqui si Deus posset falsum revelare, non mereretur talem fidem, sed posset aliquando contingere, ut etiam praevidetur Deo non assentiremur, ob rationes probabilis quae occurrere possent, quod Deus hic & nunc decipere vellet, imò defecto possemus praevidere formidare, an non Deus voluerit falsum loqui per Jonam Prophetam, & alijs locis, à Suarez & Terriano relatis.

329. Confirmari potest hæc ratio. Videtur ex terminis absurdum esse, Deum non posse dedocere aliquem errorem suum auctoritate: atqui si Deus mentiri posset, tunc posset in nobis dari error, quem Deus nullo modo posset auctoritate interpositâ dedocere: ergo dicitur. Minor probatur. Nam semper possem formidare, an non Deus tunc mentiretur, quando me vellet errorem dedocere, quem ipse suo mendacio potius causasset; nam volendo dedocere errorem, fateretur Deus, se prius fuisse mentitum: quare possem prudenter formidare, an non prius verum dixisset, & nunc vellet decipere.

330. Quæ ex Scriptura adduci solent, vel non habebant sensum absolutum sed conditionatum, qualis erat prophetia Jonæ, de inveniendis Ninive, vel significabant divinam permissionem alicujus deceptionis ab alio faciendæ, ut quando Diabolus permixtus est esse spiritus mendax in ore Prophetarum.

CONTROVERSIA II.

Vtrum circa revelationem apparentem elici possit actus fidei supernaturalis falsus.

331. DICO 1. Nullus actus fidei supernaturalis, potest connaturaliter tendere in revelationem solam apparentem. Ita communiter omnes contra Majorem. Probatur 1. Ex Tridentino sess. 6. c. 9. ubi dicit, Certitudini fidei falsum subesse non posse. quod ad minimum debet intelligi: *connaturaliter*. nam vtrum hoc simpliciter repugnet, dicemus Concl. seq. Probatur 2. Autoritate PP. tribuentium Fidei certitudinem: atqui Certitudo formaliter consistit in intrinseca connexione cognitionis cum objecto vero, adeoque ad minimum in naturali intrinseca exigentia, ne producat, nisi quando objectum est verum. Ergo &c.

332. Probatur 3. Omnis actus, qui ex essentia sua est actus virtutis intellectualis, est intrinsece verus. Sed omnis actus supernaturalis fidei est essentialiter actus virtutis, quia procedit ab habitu supernaturali: ergo &c. Major est Aristotelis 6. Eth. c. 2. & 3. Minor probatur. Habitus Fidei est Virtus Intellectualis, vt constat ex Trid. sess. 6. c. 7.

333. Probatur 4. Ex ipsa supernaturalitate, quæ sicut evehit naturam supra operationes naturales, ita & videntur ejus proprietates esse magis sublimata: atqui proprietas maxima est Veritas, & falsitas est imperfectio ac depressio potius nature, quàm ejus elevatio: ergo &c. sed de hoc iterum infra.

Obijcit 1. Rusticus, proponente Parocho articulum falsum, tenetur credere: ergo potest elicere actum supernaturalem fidei. R. Tunc quidem rusticus elicit actum supernaturalem piæ affectionis, & meritum, sed non elicit actum supernaturalem fidei, sed purè naturalem. Ratio est, quia actus supernaturalis nunquam elicitur nisi juxta merita objecti: atqui propositio Parocho, quæ non est supernaturalis quoad modum, hoc est, non est derivata à Deo ejusque voluntate loquendi, non meretur credi actum supernaturalem, cum sit tota naturalis: ergo tunc nec habitus fidei exigit concurrere ad actum, nec Deus concurret loco habitus.

334. Obijcit 2. Sicut se habet volitio supernaturalis ad suum objectum, ita intellectio supernaturalis ad suum, sed volitionis supernaturalis objectum parziale potest esse falsum, v. g. quando ex misericordia de elemosynam illi, qui se simulat pauperem: ergo & objectum intellectus supernaturalis potest esse locutio simulata. R. Negando minorem. Quia honestas objectivæ illius actus misericordiæ, non consistit in sublevatione veræ paupertatis, sed in sublevatione paupertatis probabiliter apparentis, & sic præce-

dit iudicium practicum evidens, quodd honestum sit dare elemosynam illi, qui apparet pauper, etiam si reverà non sit pauper. Quapropter cum objectum formale talis actus misericordiæ, sit simpliciter bonum, mirum non est illum actum esse supernaturalem. Hinc autem confirmatur potius Conclusio. Nam sicut objectum voluntatis est bonum, ita objectum intellectus est verum: ergo sicut actus supernaturalis voluntatis non potest tendere nisi in bonum quod reverà sit tale, ita nec actus supernaturalis intellectus potest tendere in objectum, nisi quod sit verum realiter, & non merè apparenter.

335. Obijcit 3. Ponamus Judæum aliquem in nocte Nativitatis Christi eliciisse actum fidei de Messia venturo, & continuasse illum actum aliquantisper post transactam nativitatem, ille actus ante ipsam nativitatem fuisset verus, post nativitatem capisset esse falsus, quia non erat amplius verum dicere: *Christus nascetur*. atqui esset supernaturalis. ergo &c. R. Prescindendo ab illa controversia Logicali, vtrum actus verus possit transire in falsum, respondetur inquam, negando sequelam. Vel enim Judæus affirmat futuritionem respectu temporis quo id Propheta prædixit, & tunc actus semper est verus, etiam post nativitatem, quia semper est verum dicere, quodd tempus nativitatis sit posterius, respectu temporis quo locutus est Propheta; vel affirmat futuritionem respectu temporis in quo ipse Judæus existit, & tunc actus ipsius nunquam erit actus fidei supernaturalis, quia nulli revelationi innititur.

336. Obijcit 4. Potest rusticus vno eodemque indivisibili actu credere Parocho duos articulos, vnum falsum, alterum verum: sed sic actus ille supernaturalis erit falsus. R. Negando suppositum minoris, quodd foret actus supernaturalis. Nec obstat ab illo actu attingi revelationem supernaturalem, nam hæc attingitur etiam ab actu falso, quo aliquid deduco ex vna revelata, & alia propositione probabili, sed falsa. v. g. si quis ex eo quodd Christus sit homo, & omnis homo habeat rebellionem carnis, deduceret, Christum habuisse rebellionem carnis.

337. DICES. Non est majus absurdum, actum falsum causari ab actu supernaturali, quàm actum supernaturalem esse falsum: sed illud prius potest fieri connaturaliter, vt patet in exemplo allato: ergo & posterius. R. Negando majorem. Et quidem P. Ripalda putat, in tali casu actum supernaturalem posse & debere dici simpliciter Causam actus falsi, quia conjunctus cum alia præmissa falsa, necessitat intellectum ad inferendam conclusionem falsam. Quod si illi objicias, actum fidei esse indifferentem ad conclusionem veram & falsam, replicat, etiam præmissam falsam esse indifferentem ad inferendam conclusionem veram, quia ex falso potest sequi verum. Hoc tamen nullo modo placeat. Quando enim dicitur, ex falso posse sequi

Ddd 3

verum,